



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXL. Ioannis Papae VIII. Ad Gregorivm, Theophylactvm, Et Diogenem, &c. Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta. miratur cur Romam non venerint. mandat vt contra Sarracenos sibi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Domino placeas, ex nostra auctoritate corrigere procures. Data vt supra.

EPISTOLA CCXL.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GREGORIVM, THEOPHYLACTVM,
ET DIOGENEM, &c.

Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta. miratur cur Romam non venerint. mandat vt contra Sarracenos sibi auxilio veniant.

Dilectis viris Gregorio spathario, Theophylacto turmacho, atque Diogeni comiti imperialibus.

AVDIENTES vos per Dei auxilium, & secundum spiritualis filii nostri imperatoris voluntatem, Neapolim venisse, ac multitudinem Sarracenorum ibi consistentem potenti brachio superasse; lati sumus effecti, & statim debitas omnipotenti Domino gratias egimus super victoria vestra, & inimicorum contritione. Sed iterum mirati sumus, quia Romam venire, nostramque apostolicam neglexistis videre presentiam, vt pro vestri laboris certamine multiplicem gratiam, & benedictionem a nobis, & a sede apostolica super vos reciperetis effusam: quatenus sanctorum apostolorum Petri & Pauli orationibus adiuti, omnique spiritali benedictione muniti, contra eosdem perditionis filios victrici semper dextera valeretis efficaciter dimicare: quod tamen vt salubriter facere possitis, vt terra, marique de inimicis, & infidelibus victores feliciter existatis: ideo mandamus vobis, vt cum aliquantis dromonibus pro honore iam dicti spiritualis filii nostri Augusti, has nostras in partes iterum venire omnimodis satagatis: quatenus contra eosdem nefandos Agarenos congruum nobis adiutorium præbere possitis, vt ex hoc laus & merces imperatori accrescat, & a nobis dignas retributiones sine dubio recipiatis. Quapropter monemus, & hortamur vos, vt nostris monitis libenti animo attendatis, & quidquid acturi estis, per vos velociter cognoscamus. Data vt supra.